

perfecto animum adjecit, ut sibi regiam domum egregio planè opere, et regiâ magnificentiâ moliretur, quod tredecim tandem annis consecutus est. Quare viginti annos in utrâque domo perficiendâ consumpsit. An verò hoc temporis spatio aliâ quoque domus extractæ fuerint, altera pro Pharaonis filiâ; altera, quæ à saltu Libani nomen accepit, controversia est. Abulens., quæst. 3, in hoc tempus aliarum quoque domorum constructionem confert, cui subscribit Pineda lib. 5 Salomonis prævii cap. 6, qui etiam suspicatur domum reginæ, et domum saltûs Libani non esse ab amplissimâ regis basilicâ diversas, sed varias ejusdem domûs partes, sicut in principum domibus, et videmus modò, et maximè usitatum

deux choses : l'une, que Salomon bâtit le temple qui devait être consacré à Dieu, avant que de se bâtir une maison à lui-même, et l'autre, qu'il fut beaucoup moins de temps à bâtir ce temple que son palais, puisqu'il acheva le temple en sept années, et que le bâtiment du palais en dura treize. Ce n'est pas, comme dit encore le même auteur, qu'il ait bâti avec plus de magnificence sa propre maison que celle de Dieu, puisque le contraire peut se remarquer dans la description particulière de l'une et de l'autre, mais c'est que ce prince et tout son peuple firent paraître une ardeur extraordinaire pour achever cet édifice superbe que l'on élevait à la gloire du Seigneur. Et d'ailleurs, le roi, son père, lui avait laissé, comme on l'a vu, une fort grande quantité de matériaux destinés pour cet ouvrage. Cet exemple de la conduite de Salomon, qui préféra ce qui regardait le culte de Dieu à ce qui devait procurer sa propre commodité, et qui travailla avec plus de zèle à la construction du temple qu'à celle de son palais, est avantageux, dit le même auteur, pour réveiller quelques Chrétiens assoupis, qui paraissent aussi froids et aussi lents pour contribuer à toutes les œuvres de piété, qu'ils sont prodiges et magnifiques pour ce qui regarde leurs propres maisons, traitant Dieu d'une manière toute différente dont en usa Salomon, et lui donnant aussi peu la préférence dans toutes les choses extérieures que dans leur cœur.

Toutes ces magnificences et ces dépenses des palais que Salomon fit bâtir, pourraient paraître excessives; mais il faut se souvenir que ce temps de l'ancienne loi, et surtout du règne de Salomon, était un temps destiné pour tout cet éclat extérieur qui frappait les sens des peuples, et qui devait leur servir, ou au moins à ceux dont ils étaient la figure, pour élever leur esprit jusqu'au vrai Salomon, qui prépare dans la céleste Jérusalem à tous ses vrais serviteurs, qui y régneront éternellement avec lui, des demeures non pas périssables, comme ces palais du prince dont nous parlons, qui furent détruits dans la suite de quelques siècles, mais éternelles et tout éclatantes de la gloire de Dieu même qui les éclaire, et de celle de l'Agneau qui en est la lampe, comme parle l'Écriture. (Sacy.)

fuisse olim audimus, sanè pro feminarum habitatione in principum domibus membrum esse diversum, et à virorum commoratione separatam. Unde sicut pars illa domûs, ubi viri degunt, ἀνδρῶν appellatur, sic ubi feminae separatim habitant γυναικῶν. Quare qui uxorem ducunt, pro uxore, comitatuque muliebri certum aliquem secessum in domo interiori designant. Plautus in Mostellariâ : « Dare vult uxorem filio quantum potest : ad eam rem « facere vult novum gynæceon. » Esse autem pro feminis ædium aliquam partem separatam, ut omittam profana, Scripturæ sacræ multa docent exempla. Esther cap. 1, seorsum à viris feminae discumbunt; et Herodias non eodem, quo Herodes loco convivium in Herodis natalitio die. Jacob diversum tabernaculum habuit à Rachel, et Lia, Genes. 31, et Sara Gen. 24, diversum tabernaculum dicitur habuisse. Eandem porrò domum habuisse cum Salomone, Pharaonis filiam, licet non eandem domûs partem, illud indicat, quod lib. 3 Reg. cap. 3, v. 1, dicitur de Salomone: *Acceptit filiam ejus* (Pharaonis), *et adduxit in civitatem David, donec completeret domum suam*, id est, domum Salomonis, ut probat pronomen masculini generis. Hæc sententia valdè mihi probatur. De domo Libani alia fortassè ratio est: nam in domo regiâ hortus esse potuit (eò Christus ad levandum animos venit), qui à monte Libano, qui speciosus est et auræ salubris, nomen accepit. Sicut usu sæpè evenit, ut locus aliquâ proprietate, aut proventu nobilissimum locis aliis nomen accomodet. Sic Academia, qui locus erat Athenis litteris et literatis illustris, nomen attribuit Ciceronis villæ, ubi de rebus philosophicis disputatio frequens, et locis ad quæ, tanquam ad bonarum disciplinarum emporia fiunt doctorum hominum conventus. Sic Eurippi dicuntur aquarum omnes sinuosi decursus. Sic Tempe, seu Hesperidum horti, dicuntur loca, quæ salubris perflat aura, et mirifica florum aromatumque suavitas. Ad hunc modum licet Salomonis, aut suburbana villa (de quo nihil certum affirmare possum) procul abesset à Libano, tamen nomen sumpsit à Libano, cujus erat nota, et, ut arbitror, proverbialis amenitas.

Quia verò de templi structurâ proximè egerat, ne à propositâ materiâ recederet, aliarum domorum structuram pertexit, quod eò fit opportunè magis, quia inter harum domorum, et templi fabricam nonnulla intercedebat similitudo, quare ex unâ ad aliam difficilis non

fuit migratio. Hæc porrò fabrica, illiusque minuta descriptio ad versum usque 15 producit. Inde alia traduntur plurima, quæ tametsi ad templi fabricam, et corpus non pertineant, pertinent tamen ad varia sacrorum, templique ministeria. In his posterioribus explicandis aliquam nos operam ponemus. Priora verò, quæ nihil aliud continent quàm constructionem et formam profanæ domûs, prorsus omitemus, quia nihil occurrit firmum, in quo acquiescat animus, neque illi, qui ad studii contentione, atque ingenii perspicacem aciem aliquid etiam artis attulerunt, sibi omninò in suâ cogitatione satisfaciunt. Neque nobis plus placebunt nostra, ubi multum, diùque sudaverimus, quàm placent aliena: non quia non accurata, et acuta, et fortassè vera, sed quia pro nostri ingenii imbecillitate non assequemur. Informare sanè aliquam imaginem facile est, illam autem cum textu committi difficile. (1)

(1) VERS. 2. — DOMUM SALTUS LIBANI. Nomen id ædificio datum est, sive quòd sylvæ columnarum è cedro montis Libani ornaretur, sive quòd lucos haberet adjunctos et umbras arborum, perinde ac Libanus. Ædificium autem est non distinctum ab eo, de quo in v. 1, quodque intra urbem Jerusalem continebatur, et ad occidentem templi jacebat. Censuit Chaldaeus, domum hanc fuisse in usum animi relaxandi constructam, ut eò veniens rex auram in æstivis ardoribus captaret. Salomon ibi domicilium suum constituerat, ibique pariter trecentos aureos clypeos posuit, quos confari juserat. Vasa ejus domûs omnia aurea erant.

CENTUM CUBITORUM LONGITUDINIS, quinquaginta latitudinis, et altitudinis triginta. Ingens erat ædificium ad centum septuaginta pedes ac decem pollices in longum, octoginta quinque pedes et quinque pollices in latum, ac quinquaginta et unum pedes cum tribus pollicibus in altum porrectum; fuitque quatuor ordinum columnis, seu potius triplici columnarum ductu, uno verò pilarem, ex quibus tres formabantur porticus tectæ, ante concilia excurrentes. Singuli ordines numerabant columnas quindecim, tresque simul ordines quinque et quadraginta columnas, ut in hoc versiculo et duobus sequentibus animadvertitur. Accedebant ædificio duæ latius sese explicantes alæ ad utrumque latus, quibus nihil deerat ornamentorum, quæ reliquum ædificium commendabant.

QUATUOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS: LIGNA QUIPPE CEDRINA EXCIDERAT IN COLUMNAS. Hebræus: *Domus erat super quatuor ordines columnarum cedrinarum, et trabes cedrinæ excisæ super columnas*. Quoniam columnarum ordines erant quatuor, porticus nonnisi tres componebantur, cum unus esset ordo pilarum, quæ pariet ædium adharebant. Trabes ex unâ columna ad alteram ductæ, et ipsæ pariter columnæ, è cedro erant excisæ et dolatæ. Si quis admiserit quatuor ordines columnarum à parietibus sejunctarum, textus hic, et versio-

VERS. 15. — MISIT QUOQUE REX SALOMON, ET TULIT HIRAM DE TYRO FILIUM MULIERIS VIDUÆ DE TRIBU NEPHTHALI PATRE TYRIO. Sicut tempore Moysis fuit insignis quidam artifex nomine Beseleel,

culi tertius et quartus sibi invicem non constant, cum quinque tantummodo et quadraginta columnas, seu tres ordines columnarum, è quindecim columnis singulos, numerent.

(Calmet.)

VERS. 3. — ET TABULATIS CEDRINIS VESTIVIT TOTAM CAMERAM. *Cameram* vocat fornicem; hæc enim in opere concamerato, estque ipsa domus concameratio. (Corn. à Lap.)

VERS. 4 et 5. — CONTRA SE INVICEM POSITAS, ET E REGIONE SE RESPICIENTES. Omissum est aliquid ab auctore Vulgatæ. Versiculi 4 et 5 ita sonant in Hebræo: *Fenestellarum tres ordines, et fenestra ad fenestram tribus vicibus, et omnia ostia, et postes quadrati, fenestella; et è regione fenestra ad fenestram tribus vicibus*. Tres in his ædibus erant conclave ductus vel ordines. Sed porticus regnantes ante hujusmodi concilia totam occupabant altitudinem ædificii, faciemque præferebant unitam neque interruptam; tria autem solaria nonnisi exterius dignoscebantur, ex triplici ordine fenestrarum ejusdem architecturæ, aliis è regione et super alias positis; per interiores autem scalas ex unâ contiguatione ad alteram ascensus dabatur. *Porticus omnes erant quadratæ*, ait scriptor sacer, pro veteri more struendi portas quadratas, eo sensu quo supra à nobis explicatum est, exceptis tamen majoribus portis urbium, arcuum triumphalium, aliorumque locorum, quæ publicus erat transitus.

VERS. 6. — ET PORTICUM COLUMNARUM FECIT... ET ALTERAM PORTICUM IN FACIE MAJORIS PORTICUS. Agitur etiam in v. 7 de porticu, ubi tribunal vel solium positum erat: *Porticus solii*. Id si admittatur, tres statuendæ erunt porticus, vel tria atria ambitu porticum septa. Sed Hebræus geminas tantum exhibet; ita enim sonat ad litteram: *Porticum columnarum fecit... et porticus super facies earum, et columnæ et trabes super facies earum, et porticum solii*.

Ante eandem hanc ædificii, de qua hucusque, et junctam porticui atque columnis illam fulcipientibus, constituit Salomon atrium quinquaginta cubitorum longitudinis et triginta latitudinis, cui sua erat corona porticum, columnarum, atque cellarum, ut ejusmodi columnæ, porticus, trabes, et ornamenta atrii ex adverso majoris porticus ornamenta respicerent, illisque conjungerentur. Atrio solii idem erat architectura ordo, eademque dimensiones.

VERS. 7. — PORTICUM SOLII, IN QUO TRIBUNAL EST. Veteres orientales reges jus per se dicebant, neque alibi plerumque, quam in regium ædium foribus. Eò populus conveniebat ad principum edicta atque mandata excipienda; hinc hodiè pariter ædes summi Turcarum imperatoris *Porta* appellantur.

VERS. 8. — DOMUNCULA, IN QUÀ SEDEBATUR AD JUDICANDUM. ERAT IN MEDIA PORTICU SIMILI OPERE. Regium solium surgebat in formam sublimis adiculae, retrò et ad duo latera clausæ, ut rex tuto humeros et latera haberet. Similis operis tribunal parabatur pro vetustis Latinis

Exod. 31, qui omnia instrumenta, et vasa, pro multiplici templi ministerio conflavit, perfecitque; sic hoc tempore insignis fuit artifex nomine Hiram ex Tyrio patre, et Israelitide

regibus, uti Servius animadvertit. Salomonis tribunal lapideum erat, cedro tamen indutum; cedrus autem inserto scitè per intervalia auro et ebore distinguebatur. Vide quæ narrantur inferius, 10, 18, 19, de solio eburneo Salomonis. Itinerarium quoddam describit solum vestustissimum, quod facillè numini alicui destinatum fuerat; constat autem illud quatuor amplis lapidibus, quorum duo formant latera, tertius est in tergo, quartus in umbellæ morem supra caput pendens imminet. Hebræus legit: *Domus in qua sedebat, erat velut atrium aliud, intra vestibulum. Alterum hoc opus erat ut cetera.* Id est, locus ubi positum erat solum, perinde erat ac atrium quoddam distinctum, et à majiori atrio domus segregatum. Intra majus atrium locum quemdam elegerat atque distinxerat, qui meritò seu alterum parvum atrium haberi poterat. Seu potius alter textui sensus tribui potest: *Fecit alterum atrium intra domum quam habitabat, simile operi mox descripto.* Erat fortassè atrium interius, et retrò post aedes regis jacens. Sed præstat Vulgatæ interpretationem retinere. Ita regis Salomonis aedes describit Scriptura, ut plurimum congruant cum aedibus regum orientalium, quas veteres historici et recentiora itineraria depingunt. Ingentis molis ædificium sunt, cui accedunt duo vel tria atria, ambitu columnarum et porticum septa. Atrium exterius occupant corporis custodes sub portibus distributi. Ex interioribus atris aditus patet in domum, maxime in eam partem ædium, quæ mulieribus destinatur, quæque ablitissima est totius domus et cæteris inaccessa.

DOMUM QUOQUE FECIT FILLE PHARAONIS. Ubique per Orientem feminæ suas habent aedium partes à viris distinctas atque remotas. Sara, Rebecca, Rachel, Lia suæ habebant tentoria ab Abraham, Isaci, et Jacobi tentoriis sejuncta; suæ pariter erant aedes Estheri, eademque seorsum cum matronis aula Assueri vescebatur. Herodias et rex Herodes commune triclinium non habebant. Neque ab his moribus hodiè pariter abitum est.

VERS. 9. — EXTRINSECUS USQUE AD ATRIUM MAJUS. Hebræus: *Ab extra, ad atrium magnum.* Atrium magnum atrium est primum, portibus undique septum, quas porticus narrant versiculi 2, 3, 5, 6. Omnium ejusmodi substructionum parietes, tum qui intra domicilia, tum qui exterius in atris apparebant, sive atrium interius ac exterius pari nitore constructa fuere. Nihil ad elegantiam ac soliditatem operis desideratum est.

VERS. 10. — DECEM SIVE OCTO CUBITORUM LONGITUDINIS, id est, quatuordecim, vel decem et octo pedum longitudinis et crassitudinis, pro æquâ ad magnitudinem proportionem. Plurimi tunc in ædificiis æstimabantur ingentes lapides, dolati probè et affabrè juncti. Rudera veterum ædificiorum Ægyptiorum, Græcorum, ac Romanorum, quæ temporis voracitati et barbarorum furori superfluerunt, architecturæ hujus veteris speciem exhibent. Immanes sunt moles

genitrice natus, ejus in ære conflando, cuedendo atque informando, mira erat dexteritas. Hunc Salomon evocavit è Tyro, ubi paternos habuit natales, et ubi artem illam nobilem didicerat, ejus operâ illa perfecit, quæ nunc pluribus auctor numerando, et describendo persequitur. Circa hunc Hiram, qui commune nomen habuit cum rege Tyri est aliquid, quod hic observato opus est, quia hoc loco natus esse dicitur patre Tyrio et matre Israelitide, de tribu Nephthalim. Sed lib. 2 Paral. cap. 2, Hiram rex Tyri, Tyrium fatetur esse parentem; matrem verò ex tribu Dan prognatam esse dicit: *Misi, inquit, tibi virum, etc., filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius.* Variè à variis hæc duo loca conciliantur. Ego nullum alium modum invenio meliorem, quam errasse Tyri regem in assignando Israelitico

lapidum, miro labore et industriâ operi admotæ, est autem illud sani illorum judicii rectique ingenii argumentum. Ædificia enim parantur ut commodam domicilium præbeant; sedulo cavendum est, ne sumptus impendamus in opera parum solida, adeoque frequenter sarcienda. Sibi et posteris laborandum est.

(Calmet.)

VERS. 11. — SIMILITERQUE DE CEDRO, q. d.: Cedri adhibita ad fabricam domorum Salomonis æquali mensurâ sectæ et aptatæ sunt, sicut secti erant lapides pretiosi earundem.

(Corn. à Lap.)

VERS. 12. — ET ATRIUM MAJUS ROTUNDUM, TRIUM ORDINUM DE LAPIDIBUS SECTIS, ET UNIUS ORDINIS DE DOLATA CEDRO. Ad v. 9 diximus, quid sit illud atrium majus, et ad v. 36 præcedentis capituli animadvertimus, quid sint illa: *Trium ordinum de lapidibus sectis, et unius ordinis de dolata cedro.* Superest modò demonstrare, quomodo atrium illud esset rotundum. Juvat autem animadvertere, olim plateas publicas figuram cyclicam exhibuisse; quare Homerus *circulum sacrum*, ἑρπύρον κίρκον, appellat. Gemina apud alios auctores recurrunt. Sanè fieri optimè potuit ut quatuor ædificii alæ porticibus circumdatæ circulum perfectum, seu ovalem, vel hemicyclum formaverint, in medio longitudinis paulisper inflexæ. Id autem contulisset plurimum ad atrii magnificentiam atque amplitudinem. Quarandum tamen nobis est, quid verissimum sit, non quid p. lecherrimum; atque ex textu originali illud colligi videtur, ejusmodi atrium undique columnarum septo fuisse redimitum. Neque aliud facillè innuere voluit auctor Vulgatæ his verbis: *Atrium majus rotundum.* Ita ergo textus ad litteram: *Et atrio majori circum tres ordines de petrâ dolatâ, et ordo tribus cedri arum.* Id est, atrium illud ambièbatur undique ad quatuor latera ædificii, et portibus quarum parietes ita structi erant, ut tria priora strata sectis lapidibus, quartum tignis cedris constarent, et sic deinceps usque ad supremum verticem. Idem servatus est structuræ ordo, qui in atrio sacerdotum templi, et in ipso templi vestibulo, ut parietes mixtum lapidibus cedrum exhiberent.

(Calmet.)

genere. Neque novum est, ut alieni, quibus fides non debetur canonica, in historiâ sacrâ frequenter errent, quorum verba Scriptura refert, non probat. Ut pluribus docimus lib. 1, cap. 4 Num. 11, ad illud v. 8: *Hi sunt dii, qui percusserunt Ægyptum omni plagâ in deserto (1).*

VERS. 13. — ET FINIXIT DUAS COLUMNAS AEREAS DECEM ET OCTO CUBITORUM ALTIUDINIS COLUMNAM UNAM. Multus est historicus sacer in describendis duabus columnis æreis, quæ in templi vestibulo Salomon statui jussit, quarum alteram appellavit Jachim, quæ idem valet, quod firmitas, alteram Booz, quæ robur sonat. Hæ decem et octo cubitos habebant altitudinis, quibus cubitorum quinque impositum est capitellum. Idem docet Jeremias capite 52, versiculo 21, ubi has columnas ablatas esse dicit.

Chaldæo, ubi eandem mensuram esse tradit, additque intrinsecus esse concavas, et illarum grossitudinem digitorum esse quatuor. Illarum circumferentiam, seu ambitum Josephus lib. 8 Antiq. cap. 2, duodecim cubitorum esse dicit, et sanè id indicat non obscure locus hic, in quo nunc versamur versiculo 13: *Et linea duodecim cubitorum ambièbat columnam utramque.* Quod verò hic non sint intelligendæ duæ columnæ simul, sed quævis seorsum, facillè intelligitur ex Jeremiâ alibi, qui locum hunc isdem penè verbis expressit: *Decem et octo altitudinis cubiti erant in columnâ unâ, et funiculus duodecim cubitorum circuibat eam.* Ita Abulens. quæst. 8, Vatablus, Cajetanus, Ribera libro secundo de Templo, capite 14. Est autem linea seu funiculus, non aliquod columnarum ornamentum, qualis, v. g., fascia, spira, sed mensura, quæ ut totam columnam peripheriam amplectatur, necesse est haberet duodecim cubitos longitudinis. Unde facillè constat quanta sit columnæ crassities, cum diameter columnæ quatuor sit cubitorum, quia hic duodecim horum cubitorum tertia pars. Neque hic laboro an juxta architectonice hæc sit apta, atque legitima columnarum symetria. Neque

(1) VERS. 14. — HIRAM FILIUM MULIERIS VIDUÆ DE TRIBU NEPTHALIM, PATRE TYRIO. Hic appellatur in Paralipomenis pater, id est, præfectus regis, vel præfectus manus artificum regionum; additurque filium fuisse mulieris de filiabus Dan, Tyrio patre. Quâ in re arduum hoc est, qui fieri potuerit, ut una eademque mulier ad tribum Dan simul et Nephthali pertineret; respondet Menochius mulierem nanc ex tribu Nephthali oriundam, ortam habuisse in urbe Dan, quæ erat in tribu Nephtholim, ad fontes Jordanis.

(Calmet.)

enim hæc aliquid præstant columnarum officium, cum nullum sustineant pondus, neque illarum capitella ejus sint figuræ, quæ magnam aliquam molem sustentare possint: dicuntur autem columnæ, quia moles sunt, quæ sursum attolluntur, longæ magis, quam latæ. Quomodo complura alia, quæ magis à columnarum lege, atque mensurâ recedunt, columnæ nihilominus appellantur. Sic millies legis columnam ignis et columnam nubis, in Exodo et in Numeris; columna fumi, Judic. 20, versiculo 38. Neque video, licet in duabus hisce molibus columnarum ad leges architectonicas non fuerit servata symetria, quo alio nomine potuerint significari commodius.

Sed est huic sententiæ aliquid difficile à lib. 2 Paralipomenon capite 3, versiculo 15, ubi hæc columnæ triginta quinque cubitos altitudinis habere dicuntur. Quidam fatentur quidem columnas esse cubitorum 18, si tantum scapulum, qui propriè dicitur columna, consideres; at si his annumeres capitella, epistylia, basis, lilia, et si quid aliud ad columnarum ornatum adhiberi solet, facillè 35 cubitorum mensuram impleri. Ita Abulen. quæst. 8, Cajetanus, Villalp. tom. 2, lib. 3, cap. 48. Sed sanè Paralipomenon cap. illo 3, post triginta quinque cubitos, alii quinque pro capitellis cubiti numerantur.

Mihi placet magis quod visum est Vatablo et Ribera supra, et Mariana in lib. 2, capite 3 Paralipomenon, qui putant eo loco non unius columnæ separatim, sed utriusque simul notari longitudinem; nam si decem et octo cubitos duplices, triginta sex efficies. Sed est adhuc dubium, quia in lib. 2 Paralipomenon non triginta sex, sed triginta quinque numerantur cubiti. Vatablus sic nodum hunc dissolvit, fuisse quidem in utraque columnâ cubitos triginta sex; ideò autem dici triginta quinque, quia cubitus dimidius in illarum quilibet videri non poterat. Ego aliter puto nodum istum expediri posse facilius. Atque ideò repetendum puto id, quod aliis pluribus in locis observavi. Primum imperfectos numeros in Scripturâ sacrâ interdum omitti, interdum adhiberi pro perfectis. Cujus rei duo in hoc capite habemus exempla. Alterum in principio, ubi consumpti dicuntur in ædificando templo septem anni, cum tamen alii sex menses illis annumerandi sint; sunt tamen omitti, quia ille imperfectus numerus annum non implebat. Alterum versiculo 42, ubi malogranata

quadringenta in duobus retiaculis esse dicuntur, centena, utique in singulis granatorum versibus, qui singula retiacula cingebant: et tamen Jerem. capite 52, versiculo 23, quilibet ordo malograna nonaginta sex dicitur habuisse. Sic ergo cum quælibet illarum columnarum tantum haberet cubitos septemdecim et dimidium, libri 3 Regum scriptor dimidium illum integrum reddidit, et 18 cubitos habuisse tradidit, sicut etiam nunc in quolibet ordine centum dixit esse malograna, cum tamen ex illo numero quatuor defuissent.

Observandum item in Paralipomenis quædam addi, quæ in libris Regum omissa sunt, quædam explicari magis, quæ tradita videbantur obscurius. Verè dictum est ex Scripturæ sacræ, et omnium penè gentium consuetudine (quæ in numerando non putat exigui numeri habendam esse rationem) in quolibet columnâ duodeviginti fuisse cubitos; sed quia si rem exactius ad amussim explores, dimidius ab eo numero cubitus deficit, illud explicuit magis scriptor Paralipomenon, cum in duabus columnis non 35, sed 36 cubitos numerari tradidit.

VERS. 16.—DUO QUOQUE CAPITELLA FECIT, QUÆ PONERENTUR SUPER CAPITA COLUMNARUM, FUSILIA EX ÆRE. Describit exactè capitella, in quibus plurimum erat artis et ingenii. Hic duo habes in extremo columnarum fastigio, capitella videlicet, et capita. Capita sunt quæ aliter vocari possent epistylia, quæ ideò sic appellantur, quia summam scapi partem proximè contingunt. Capitellum hic moles est rotunda in spheræ modum, quæ totum opus consummat; et complet, et epistylis insidet, utrumque conjungitur Paral. c. 4, v. 12: *Fecit columnas duas, et epistylia, et capita, et quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia.* Erant autem capitella ex ære fusili, id est, opere conflatorio perfecta. Hispanica translatio *Vaziadisos.*

VERS. 17.—QUASI IN MODUM RETIS, ET CATENARUM SIBI INVICEM MIRO ORDINE CONTEXTARUM. Duorum capitellorum altitudo quinque erat cubitorum; illorum autem ars et elegantia mirabilis. Tegebantur enim quibusdam resticulis reticulato et concatenato opere, quæ miro inter se ordine complicabantur. Lib. 2 Paral. cap. 3, v. 16, simili arte ac modo consertæ dicuntur, et ornate resticulæ, quo in oraculo, id est in parte domus interiori. *Necnon et quasi catenulas in oraculo,* id est, quæ sunt in oraculo. (Nam ibi relativum subauditur, quod

est Hebræis familiare.) Ex quo loco discimus qualis esset interioris domus textus et ornatus.

SEPTENA VERSUUM RETIACULA IN CAPITELLO UNO. Hic miri sunt interpretes, qui variè informant hunc capitellorum ordinem et ornatum. Quidam hæc retiacula separata esse putant à capitellis, et non tam educta, atque expressa ex capitellorum ære, quasi illius propria, et continens pars, quam extrinsecus allata, et eo modo capitellis apposita, quo humano capiti contextum è serico, aut aureo filo reticulum imponitur, quâ similitudine utitur Theodoretus q. 22: *Posuit comam quamdam retiformem appensam habentia mala punica.* Alii è solido capitellorum ære eductas esse putant illas, sive resticulas, sive lineas, et in illarum areolis inclusas esse putant, aut suspensas illarum rerum imagines, qui capitella distinguunt, et exornant, lilia puta, malograna, et si quæ alia sunt illius egregii operis argumenta. Ad utrumque patet litera, tu de re, ut voles, statue, me non invito, quia nihil in utràque sententiâ distortum esse video, neque in re ipsâ, quocumque sumatur modo, video esse multum discriminis. Eò tamen magis inclinat assensio, ut retiacula separata esse à capitello credam, et tanquam aliquid alienum, apposita magis, quam ex illo educta, seu nata. Quod ideò mihi persuadeo, quia sæpè retiacula super capitellum imposita esse lego, imò ab illis capitella tegi, hoc c. v. 18 et v. 42, et l. 4, c. 28, ubi capitellum trium cubitorum esse dicitur, cum alibi sæpè quinque habuisse cubitos dicatur, quia nimirum imposita retiacula, quæ aliquid erant à capitello diversum, duos habuere cubitos, cum versus retiaculorum hoc loco circulus quidam, seu potius spira videri possit, qui capitellum ambit; non tamen ita, ut circuli finis cum ipsius principio jungatur, sed deflectatur modicè, quomodo sol suos in cælo circulos describit: tamen potius credo perfectum esse circulum, qui duplicatâ lineâ, seu funiculo, eoque in reticuli modo implicato capitella circumdat. Erant autem septem illi duplicati, catenatique versus, ex quibus quadraginta pendebant malograna, de quibus postea. Hæc autem pendere dicuntur apud Jerem. c. 52, v. 23, ubi duas hæc columnas et malogranatorum modum, et numerum latè describit: *Et fuerunt, inquit, malograna nonaginta sex dependentia, modò à retiaculis circumdata, ut eodem loco: Et omnia malograna centum retiaculis circumdabantur; modò*

interposita. 2 Paral. c. 3, v. 16: *Malograna etiam centum, quæ catenulis interposuit.* Quæ sit horum nominum ratio, suis postea locis commodè explicabimus.

VERS. 18.—ET PERFECIT COLUMNAS, ET DUOS ORDINES PER CIRCUTUM RETIACULORUM SINGULORUM, UT TEGERENT CAPITELLA. QUÆ ERANT SUPER SUMMITATEM MALOGRANATORUM. Duo dicuntur ordines retiaculorum, quia duæ resticulæ, variè in seipsis contortæ et implicatæ, septenis versibus interiora capitella cingebant tegebantque, qui duo reticulati ordines erant super illa malograna, quæ ex ipsis pendebant, quia id rerum natura fert, ut quod ab alio pendet, inferius sit, quemadmodum fructus ramis plerumque subest, à quibus nascitur et pendet.

VERS. 19.—CAPITELLA AUTEM, QUÆ ERANT SUPER CAPITA COLUMNARUM, QUASI OPERE LILII FABRICATA ERANT IN PORTICUM QUATUOR CUBITORUM. Hæc capitella, quæ capitibus insidebant columnarum, illa sunt, quæ à retiaculis in medio ipsorum complexu claudabantur: illa verò fabricata dicuntur opere lilii, quia in illis variæ liliorum et aliorum florum, quæ liliorum nomine continentur, erant expressæ formæ, inter quas eminebant, quasi in eo opere præcipua, malograna.

IN PORTICUM QUATUOR CUBITORUM. Hic mirè inter se dissident interpretes, quorum tamen nemo in suâ sibi cogitatione satisfacit. Ego, qui hinc avolare studeo, cum alios, qui hæc in re multa intelligunt magis, hæere videam, non laboro quid alii sentiant, quia neque probare possum omnia, neque aliorum cogitata refellere jucundum est. Illud mihi non omninò displicet, si, quod alii sentiunt, capitella, de quibus hic sermo est, quin constarent cubitis, malogranatis neum ex illis occupari cubitum, atque ideò quatuor cubitos esse reliquos, qui liliis atque floribus ornarentur; tunc autem hic esset sensus: Quatuor cubiti capitellorum quæ in porticum, id est, in porticus ornatum erant sculpta, liliis ornabantur et floribus. Sed, ut diximus supra, ex c. 43, lib. 4 Regum, capitellum illud interius tres tantum cubitos numerabat.

Sed erit hæc cogitatio minus difficilis, si in interiori spherulâ, seu capitello quinque cubitos numeres, ita tamen ut illos ad exterius capitellum, id est, ad retiaculorum longitudinem referas; ita ut partes illæ minores, quæ majoribus superioris capitelli directè respondent, tot dicantur esse cubitorum, quot

partes superiores habuere, quemadmodum, licet terra cælorum ambitu multò sit inferior; tot tamen dicitur habere gradus, quot cælum. Et huic ego cogitationi magis adhæreo, tum quia hæc species capitello plurimum affert venustatis, tum quia alia multa reddit non obscura, aut difficilia, quæ alioqui plurimum videbantur difficultatis habitura. Neque enim intelligi potest quomodo duo retiacula, id est, duo retiaculorum ordines, seu versus, totidem in capitello tegerent, ex quibus illa dependerent malograna, nisi illa in medio capitelli, aut retiaculi superioris collocentur, ita ut utrinque duo maneant cubiti, quos occupant ex septenis versibus, seu ordinibus tres utrinque versus. Porrò duos esse funiculos, seu resticula in medio interioris capitelli, habemus hoc ipso loco, et infra clariùs, v. 41.

Alii supra columnæ scapum tria constituunt capitella, unum, quod vocari epistylum potest, quod extremam occupat scapi sedem, quod aliorum duorum sedes, et fundamentum est. Huic proximè insidet capitellum aliud interius, quod trium videtur habere cubitorum longitudinem, tertium reticulatum, quod aliud in suo cohibet complexu, neque illius abscondit pulchritudinem, cum per frequentes fenestellas, seu catenatos annulos, quidquid intus operis et ornamentorum est, facile pateat. Horum trium capitellorum meminit hic locus: nam v. 19, dicuntur esse *capitella super capita columnarum*, et v. 20, *rursus alia capitella in summitate columnarum desuper, juxta mensuram columnæ.* Deinde aliud addit capitellum, dum ait, *contra retiacula*, id est, è regione retiaculorum, sive retiaculis correspondens, et meo iudicio clariùs lib. 2 Paral. cap. 4, v. 12: *Complevit columnas duas, et epistylia, et capita, quasi quædam retiacula, quæ capita tegerent super epistylia*, id est, quæ erant super epistylia. Epistylum illud, quod columnam definit, et capitellum excipit, quatuor esse existimatur cubitorum, quod liliorum opere fabricatum est; et cum alia mihi cogitatio non displiceat, hæc tamen placet multò magis, et ad hanc, quod reliquum est capituli, non invitus attempero.

VERS. 20.—ET RURSUS ALIA CAPITELLA IN SUMMITATE COLUMNARUM DESUPER, JUXTA MENSURAM COLUMNÆ. Super illa, quæ proximè appellavimus epistylia, quæ erant in summâ scapi parte sculpta liliorum, aliorumque florum cælatâ formâ, erant alia capitella juxta mensuram columnæ, id est, eâ crassitudine, quam habuit